

copus accepta mitra sedet, et acceptum (quod Tonsus inserta utraque manu apte flectens coram Episcopo tenet) superpelliceum totaliter induit Tonsus, dicens: *Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis.* 5. Episcopus dicta oratione: *Omnipotens, sempiterna Deus etc.* Clericum sic alloquitur: *Fili charissime, animadvertere debes, quod hodie de foro Ecclesiae factus sis, et privilegia clericalia sortitus sis. Cave igitur, ne propter culpam tuam illa perdas, et habitu honesto, bonisque moribus Deo placere studeas, quod ipse tibi concedat per Spiritum S. suum. R. Amen.* 6. Si non adsint alii ordinandi, Episcopus dicit tonsurando: *Dic semel septem psalmos poenitentiales cum litanis, versiculis, et orationibus, et omnipotentem Deum etiam pro me ora.*

§. III. De Ostiariatu.

962. Q. I. Quid sit Ostiariatus? R. Est ordo minor, in quo per traditionem clavium Ecclesiae sub certa verborum forma a legitimo ministro prolata confertur potestas aperiendi, et claudendi Ecclesiam, pulsandi campanas ad divinum officium, et ad illud admittendi dignos, et rejiciendi indignos.

963. Q. II. Quaenam sit materia remota et proxima Ostiariatus? R. Materia remota sunt claves Ecclesiae, proxima earum traditio.

964. Q. III. Quaenam sit forma Ostiariatus? R. Sequentia verba, quae profert Episcopus ad traditionem clavium: *Sic age, quasi redditurus Deo rationem pro iis rebus, quae his clavibus recluduntur.*

965. Q. IV. An valida esset ordinatio, si loco clavium Ecclesiae traderentur claves culinae, aut si unica clavis Ecclesiae traderetur? R. Ad 1. Probabilius est invalida, quia tunc falsificaretur forma, vi cujus actu debent esse claves Ecclesiae, cum dicantur ea tradi curae Ostiarii, quae iis clavibus recluduntur in praesenti; atqui clavibus culinae recluduntur tantum res, quae pertinent ad culinam, et pro quibus ordinandus non debet reddere Deo rationem: ergo. R. Ad 2. Valida esset ordinatio, si unica clavis Ecclesiae traderetur, quia adhuc sufficienter exprimeretur potestas hujus ordinis.

966. Q. V. An etiam traditio cymbali, ejusque pulsatio sit materia Ostiariatus? R. Negative: quia haec traditio non fit ab Episcopo, sed ab Archidiacono, neque forma illi correspondet. Additur autem haec caeremonia ad plenius declarandam potestatem, et officia Ostiarii.

967. Q. VI. Quaenam sint officia Ostiarii? R. Exprimuntur illa in admonitione Episcopi ad ordinandum: *Suscepturus, fili charissime, officium Ostiariorum, vide, quae in domo Dei agere debeas. Ostiarium oportet percutere cymbalum et campanam, aperire Ecclesiam et Sacrarium, et librum aperire ei, qui praedicat. Provide igitur, ne per negligentiam tuam illarum rerum, quae intra Ecclesiam sunt, aliquid depereat, certisque horis domum Dei aperias fidelibus, et semper claudas infidelibus. Stude etiam, ut sicut materialibus clavibus Ecclesiam visibilem aperis et claudis, sic et invisibilem Dei domum, corda scilicet fidelium, dictis et exemplis tuis claudas diabolo, et aperias Deo, ut divina verba, quae audierint, corde retineant, et opere compleant, quod in te Dominus perficiat per misericordiam suam.* Unde sequentia officia colliges. 1. Ostiarii est Ecclesiae januas dignis aperire, et indignis, h. e. infidelibus, excommunicatis, et quibus ab Ecclesia interdictum est, claudere. 2. Custodire vasa sacra, et omnem Ecclesiae supellectilem. Ostiarius (ut ait Catech. Rom. de Ostiar.) ex prima sua institutione erat Sacrarii custos, et Ecclesiae thesaurarius. 3. Pulsando campanam statis horis convocare populum fidelem ad divinum officium, et

sub ipso sacrificio pulsando cymbalum ad elevationem excitare populum ad majorem attentionem, et devotionem. Ecce quomodo hic primus ordo jam referatur ad missae sacrificium. 4. Addit Conc. *Mediolanense* I. tit. de Ostiar. *Ostiarius in Ecclesia dormientes, vendentes, ementes, deambulantes, colloquentes, aliave ratione officia divina perturbantes, et quovis modo indecore, atque irreverenter se habentes moneat; si pertinaces sint, expellat, aut ad Superiorem deferat, mendicantes excludat etc.*

968. Q. VII. Quaenam debeant esse propriae virtutes Ostiarii? R. 1. *Zelus domus Dei.* Ostiarius imitetur exemplum Christi, qui e templo ementes et vendentes ejecit, Joan. 2. *et qui non sinebat, ut quisquam transferret vas per templum.* 2. *Vigilantia*, ut omnia in Ecclesia sint munda. Ostiarius cum Propheta Regio dicat: *Domine, dilexi decorem domus tuae, et locum habitationis gloriae tuae.* Psal. 25.

969. Dignitas hujus ordinis aestimari potest 1. Ex praestantia Levitarum in V. T., qui erant selecta Domini haereditas, excubantes ad quatuor portas domus Dei. Vide L. 1. *Paralip.* c. 9... 2. Ex dignitate eorum, qui praeficiuntur ad custodiam regii palatii, et thesauri: quidni longe major dignitas sit eorum, qui praeficiuntur ad custodiendam Dei domum, et curanda sacratissima, quae in ea recluduntur? 3. Denique quia Christus ipse exemplo suo illustravit ministeria Ostiariorum, ut dictum est n. praeced. *Neque dicas:* Laici hodie claudunt et aperiunt Ecclesias, pulsant campanas etc. ergo superfluum est hic ordo. R. Laici id non faciunt ex officio, neque cum speciali potestate Ecclesiastica ritu solemniter ad id deputati sunt, sicut Ostiarii.

970. Q. VIII. Quo ritu conferatur hic ordo? R. 1. juxta *Pontif. Rom.* Ante ordinationem ordinando necessaria sunt: *praevia confessio*, propter sacram Communionem, quam e manu Episcopi accipit: *in capillis modestia: corona minorum ordinum: tunica talaris: superpelliceum*, quo indutus accedit: *candela pro offertorio, si ordines intra missam recipiantur.* 2. In missis, in quibus non dicitur *Gloria in excelsis*, post *Kyrie eleison* conferuntur minores ordines: in quibus vero dicitur *Gloria*, eo dicto proceditur ad minores ordines. In missis quatuor temporum dicta prima oratione ordinatur Ostiarius, post secundam lectionem Lector, et sic deinceps. Dum Archidiaconus vel alius minister ordinandum vocat, 1. ordinandus respondens, *Adsum*, accedit, et facta profunda Pontifici reverentia genuflectit coram eo: tum Pontifex illum admonet dicens: *Suscepturus, fili charissime etc.* Deinde claves Ecclesiae, *quas manu dextera tangit ordinandus*, traduntur ab Episcopo cum forma supra cit.: *Sic age, quasi redditurus Deo etc.* 2. Post haec Archidiaconus ducit Neo-ostiarium ad ostium Ecclesiae, et facit illum claudere et aperire januam. 3. Idem Archidiaconus tradit Ostiario campanulam, quam Ostiarius pulsat. 4. Reducitur ad Episcopum, coram quo genua flectit. Episcopus autem versus ad ipsum dicit: *Deum patrem omnipotentem etc.* 5. Denique Episcopus mitra deposita, et conversus ad altare dicit: *Oremus.* Ministri vero: *Flectamus genua. Levate*, et statim Pontifex conversus ad genuflexum stans sine mitra dicit: *Domine sancte, pater omnipotens, aeterna Deus, benedicere et dignare etc.* Dicta hac oratione Neo-ostiarii surgunt, factaque Episcopo reverentia recedunt.

§. IV. De Lectoratu.

971. Q. I. Quid sit Lectoratus? R. Est ordo minor, in quo per traditionem libri lectionum sub certa verborum forma a legitimo ministro

prolata confertur potestas legendi publice in Ecclesia Scripturam sacram veteris et novi Testamenti, et scripta Ss. Patrum.

972. Q. II. Quanam sit materia Lectoratus? R. Materia *remota* est liber lectionum, sive qui continet prophetias, epistolas, actus Apostolorum etc. ac etiam homilias, et sermones Ss. Patrum in Ecclesia legi solitos. *Proxima* est hujus libri traditio. Hinc valida esset ordinatio, si traderetur sacra Scriptura, aut Breviarium, quia in eo omnia ista continentur: secus si traderetur alius liber, in quo praedicta non continentur.

973. Q. III. Quanam est forma Lectoratus? R. Sequentia verba a legitimo ministro proferenda: *Accipe, et esto verbi Dei relator, habiturus; si fideliter et utiliter impleveris officium tuum, partem cum iis, qui verbum Dei bene administraverunt ab initio.*

974. Q. IV. Quodnam sit officium Lectoris? R. 1. Legere publice in Ecclesia prophetias, quando in missa sunt legendae, item juxta *Clericatum* de Sacram. Ordin. decis. 19. n. 45. cantare in missarum solemnibus *Introuitum, Graduale, Alleluja*, et legere in Ecclesia lectiones Horarum Canoniarum. Ad Lectorem etiam pertinet sacra lectione fidelium animos excitare ad debitam Sacrificii reverentiam. Epistolas autem et Evangelium non canit ex officio sub missa; ad haec enim specialiter ordinantur Subdiaconus et Diaconus. De hoc officio lectoris testatur *Martyrol. Rom.* die 5. April.: *In Africa passio Ss. Martyrum, qui in persecutione Genserici Regis Ariani in die Paschae in Ecclesia caesi sunt, quorum Lector, dum in pulpito Alleluja cantaret, sagitta in gutture transfixus est.*

Secundum officium est, libros sacros et canonicos fideliter et diligenter custodire. Sic in *Martyr. Rom.* ad diem 11. Febr. et apud Episcopum *Sarnellium* in speculo Cleri saec. P. 1. p. 116. legitur, *S. Saturninum* Lectorem ac Martyrem tempore Diocletiani et Maximiniani incarcerationum fuisse, et a praesidibus requisitum, ut sacros libros traderet, quibus respondit, cum ferreis pectinibus crudeliter dilaniaretur: *Altius fodite hisce pectinibus in pectore meo; intus enim reperietis sacros libros, quos in visceribus impressos custodio.*

Tertium est catechizare; sive rudimenta fidei exponere, ut patet ex verbis formae: *Esto relator verbi Dei* etc. Confirm. ex *Martyr. Rom.* quod ad diem 12. Decemb. ita habet: *Romae S. Sinesii Mart. qui tempore B. Sixti Papae Lector ordinatus, cum multos convertisset ad Christum, apud Aurelianum Imperatorem accusatus, gladio percussus martyrii coronam accepit.*

Quartum denique antiquitas erat benedicere panem et novos fructus, uti colligitur ex Pontificali Rom. ubi Pontifex in degradatione Lectoris sic ait: *In Ecclesia Dei non legas ulterius, aut cantes, aut fructus novos ulatenus benedicas, quia tuum officium non implevisti fideliter et devote.* Ex dictis officiis collige iterum, quomodo hic ordo jam pertineat ad sacrificium missae.

975. Q. V. Quanam sint virtutes Lectoris? R. 1. *Notitia mysteriorum fidei.* Quomodo enim Lector alios docebit ea, quae ipse ignorat? 2. *Firma et viva fides.* Hinc ordinans monet neo-Lectores: *Quod ore legitis, corde credatis, et opere compleatis, quatenus auditores vestros verbo et exemplo vestro docere possitis.* Hinc tertia virtus est *zelus salutis animarum*, qui consistit in verbo et exemplo.

976. Quanta sit dignitas Lectoris, patet tum ex eo, quod Ostiarius aperiat fidelibus ostium Ecclesiae, Lector autem aperiat corda fidelium per instructionem in mysteriis fidei, tum ex epist. 33. et 34. *S. Cypriani*, qui illustres Christi Confessores Aurelium et Celerinum in praemium suae

confessionis Lectoratus ordine sublimavit. Refert etiam *S. Greg. Naz.* Orat. 3., Julianum priusquam a fide deficeret, honori sibi duxisse, si ad Lectoris gradum proveheretur.

977. Q. VI. Quo ritu conferatur hic ordo? R. 1. Ordinandus ad Lectoratum iisdem instructus comparere debet, quibus Ostiarius. 2. Dum Archidiaconus vocat ordinandum, respondet, *Adsum*, et mox facta profunda reverentia coram ordinante genuflectit, quem admonet Pontifex dicens: *Electus, fili charissime, ut sis: Lector in domo Dei nostri, officium tuum agnosce* etc. 3. Deinde ordinans tradit ordinando librum lectionum, quem ordinandus manu dextera tangit, ordinante interim dicente: *Accipe, et esto verbi Dei relator* etc. Postea surgit ordinans, et cum mitra conversus ad genuflexum dicit: *Oremus, fratres charissimi* etc., tum conversus ad altare mitra deposita dicit: *Oremus.* Ministri subjungunt: *Flectamus genua. Levate.* Deinde stans conversus ad ordinatum genuflexum sine mitra dicit: *Domine sancte, Pater omnipotens* etc. Dicta hac prece surgit neo-Lector, et recedit.

§. V. De Exorcistatu.

978. Q. I. Quid sit Exorcistatus? R. Est ordo minor, in quo per traditionem libri exorcismorum sub certa verborum forma a legitimo ministro prolata confertur potestas manus imponendi super energumenos sive baptizatos, sive catechumenos, legendique exorcismos ad daemones fugandos. *Energumenus* dicitur is, qui est obsessus a daemone; *Catechumenus* vero, qui instruitur in ordine ad suscipiendum baptismum.

979. Q. II. Quae sit materia et forma Exorcistatus? R. Materia *remota* est liber exorcismorum, *proxima* est ejusdem libri traditio. Forma sunt sequentia verba a legitimo ministro prolata: *Accipe, et commenda memoriae, et habe potestatem imponendi manus super energumenos sive baptizatos, sive catechumenos.*

980. Q. III. Quodnam sit officium Exorcistae? R. cum *Clericato* l. c. decis. 19. n. 34. Officium Exorcistae est, et semper fuit, expellere daemones de humanis corporibus per adjurationes et exorcismos ab Ecclesia approbatos. Olim Exorcista ex officio etiam monebat populum, ut qui non essent communicaturi, locum darent communicaturis. Exorcista quoque dimittebat energumenos post Evangelium, et praedicationem e missa, ne tumultus intra missarum solemnias ab energumenis fieret. Ecce quomodo et hic ordo ministerium exerceat ad sacrificium missae. Daemones enim ab obsessis ejicit, ut cum debita reverentia missae possint interesse.

981. *Si dicas* 1. Frustranea videtur esse haec ordinatio; conceditur enim potestas adjurandi daemones, et usus hujus potestatis prohibetur Exorcistis. R. Non prohibetur absolute et simpliciter, sed tantum ne fiat sine Episcopi licentia, idque ex gravissimis causis, scil. ne temere et inconsulto etiam Sacerdotes exorcizent, antequam de vera obsessione constet.

982. *Si dicas* 2. S. Clemens L. 8. Constit. c. 26. laudat hanc s. Thadaei Apost. sententiam: *Exorcista non fit ordinatione.* R. Hic liber sub Gelasio Papa in Conc. septuaginta Episcoporum anno 494. inter apocryphos rejectus est. Juxta alios ex hoc loco nihil aliud colligitur, quam quod Apostoli judicarent, Exorcistas sua aetate non esse specialiter ordinandos, cum Spiritus S. miraculorum dona in credentes promiscue effunderet.

983. Q. IV. Quibus virtutibus potissimum debeat studere Exorcista? R. 1. Singularem conscientiae puritati, ut colligitur ex adhortatione Episcopi: *Stude igitur, ut sicut a corporibus aliorum daemones expellis, ita ab animo tuo et corpore omnem immunditiam et nequitiam ejicias, ne illi*

succumbas, quem ab aliis tuo effugas ministerio. 2. Studeat mortificationi passionum, et vitiorum: Disce, pergit ordinans in sua admonitione, per officium tuum vitis imperare, ne in tuis moribus aliquid sui juris inimicus valeat vindicare; tunc enim recte in aliis daemonibus imperabis, cum prius in te ipso eorum omnimodam superes nequitiam. 3. Deditus sit orationi et jejunio: est enim genus daemoniorum, quod non ejicitur, nisi in oratione et jejunio. 4. Humilitati, ne in superbiam elatus, ipsemet in iudicium incidat diaboli. 1. Tim. 3. 6.

984. Dignitatem hujus ordinis colligere satis licet ex potestate adversus principes tenebrarum, de qua S. Cyprianus epist. 45. sic habet: *Hodie etiam geritur, ut per Exorcistas voce humana et potestate divina flagelletur et uratur, ut torqueatur diabolus.* Si quaeras, cur Minoristis tanta potestas jam concedatur? R. Id facit ad confundendum superbissimum hostem humani generis, et ad ostendendam efficaciam exorcismorum.

985. Q. V. Quo ritu conferatur Exorcistatus? R. 1. Ordinandus iisdem instructus, quibus Lector, dum vocatur ab Archidiacono: *Accedat, qui ordinandus est ad officium Exorcistarum,* respondet, *Adsum,* et mox facta profunda coram ordinante reverentia flectit, auditque admonitionem: *Ordinandus, fili charissime* etc. 2. Episcopus tradit ordinando librum exorcismorum, quem ordinandus manu dextera tangit, quamdiu Episcopus formam pronuntiat: *Accipe, et commenda memoriae* etc. 3. Episcopus stans cum mitra conversus ad Exorcistam dicit: *Deum patrem omnipotentem, fratres charissimi, suppliciter deprecemur* etc. 4. Tum episcopus deposita mitra conversus ad altare dicit: *Oremus:* et Ministri: *Flectamus genua. Levate.* Mox Episcopus ad ordinatum conversus dicit: *Domine sancte, Pater omnipotens* etc. Dicta hac oratione neo-Exorcista facta profunda reverentia recedit.

986. Q. VI. Ex quibus signis Exorcista possit colligere, aliquem vere esse obsessum? R. *Clericatus* l. c. decis. a n. 17. quatuor signa recenset. *Primum* est, quando qui se obsessum asserit, revelat occulta sive absentia. *Secundum* est linguarum peregrinarum peritia et locutio, quas loquens nunquam didicit. Sic testatur S. Hier. in vita s. Hilarionis de Aulico Imperatoris Constantii loquente perfectissime Syro idiomate, etsi linguam Francam et Latinam tantum didicerit, ex quo s. Hilarion deprehendit, Aulicum praedictum fuisse daemonicum. Ex his signis deducitur argumentum energumeni, nisi vel ex speciali Dei gratia, vel ex boni Angeli ope ea scire noscatur. *Tertium* signum est ex inconditis vocibus, clamoribus, et ululatus belluinis, ex insolito membrorum stupore, summa inquietudine: et e contra ex viribus in corpore humano non ordinariis, ita ut rumpant vincula et catenas etc. etc. *Quartum* signum est, si obsessi renuant proferre Ss. Nomen Jesu, aut ad occultam applicationem sacrarum reliquiarum exhorrescant, concutiantur, blasphemant etc. Plura vide apud P. Ubold. Stoiber in armamentario ecclesiastico ad insultus diabolicos elidendos. P. I. c. 2. q. 6.

987. Caveat Exorcista, ne impertinentes ad expulsionem daemonis quaestiones proponat, nec a modo exorcizandi in ritualibus praescripto facile recedat, nec adhibeat fidem, si quae prodat diabolus in praedictum tertii. Denique in hoc negotio consulat peritos auctores, qui de modo exorcizandi agunt. Erudite omnia huc pertinentia collegit mox laudatus P. Stoiber, Delrio, Tirrhaeus, Clericatus l. c. et alii. Praeprimis Exorcista ne facile credat, aliquem esse energumenum, nisi adsint signa obsessionis a doctis et piis viris approbata. Bened. XIV. Tom. 1. Bullar. pag. 570. in Lit. ad Episc. Augustanum, quae incipiunt: *Sollicitudini nostrae* §. 43. ita

habet: *In exorcizandis energumenis illud potissimum intersit, ut ante omnia dignoscatur, an revera obsessus sit a daemone is, qui talis esse affirmatur; ubi vero ita esse constiterit, eligatur ab Ordinario sacerdos perspectae pietatis, vitae integritatis, atque prudentiae; hic autem ad expellendum daemone, non quidem picta vel lignea manu, aliisve ineptis nugis utatur, sed praescriptas in Rituali Romano regulas adamussim servet.* Sub finem addit: *Clemens Papa XI. in quadam epistola encyclica data die 21. Junii 1710. districte mandavit, ut nemo exorcizans a norma in praedicto Rituali Romano (quod fuit publicatum a Paulo V. 1614.) praescripta, ulla ex parte discedere praesumat.*

§. VI. De Acolythatu.

988. Q. I. Quid sit Acolythatus? R. Est ordo minor, in quo per traditionem candelabri cum cereo extincto, et urceolis vacuis sub certis verborum formis a legitimo ministro prolatis confertur potestas accendendi cereos in Ecclesia, eosque ad altare deferendi, et vinum et aquam porrigendi ad Ss. Eucharistiam.

989. Q. II. Quenam sit materia et forma Acolythatus? R. *Ad primum.* Duplex est materia remota, candelabrum cum cereo extincto, et urceoli vacui: proxima est utriusque materiae traditio.

990. R. *Ad secundum.* Forma pariter duplex est. Forma respondens primae materiae est: *Accipe ceroferarium cum cereo, et scias, te ad accendenda Ecclesiae luminaria mancipari, in nomine Domini.* Respondet ordinandus: *Amen.* Forma respondens traditioni urceolorum est: *Accipe urceolum ad suggerendum vinum et aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi, in nomine Domini.* Respondet iterum neo-Acolythus: *Amen.*

991. Q. III. An utraque materia sit de essentia hujus ordinis? R. cum D. Th. in 4. dist. 24. q. 2. a. 2. Utraque materia et forma est de essentia hujus ordinis, tum quia non est ratio unam alteri praeferendi, tum quia antiquissima Ritualia utramque referunt. Morinus de Sacr. Ord. p. 2. a p. 210. a Conc. Carthag. IV. de anno 398. usque ad Pontificale Rom. sub Greg. XIII. de anno 1575. refert septemdecim vetustissima Ritualia, ubi leguntur eadem materiae et formae. Juxta D. Bonav. in 4. d. 24. p. 2. dub. 5. sola candelabri traditio cum cereo est materia necessaria hujus ordinis; juxta Durandum vero traditio urceoli. Praeferenda videtur prima sententia.

992. Q. IV. Quodnam sit officium Acolythi? R. Juxta admonitionem Episcopi ordinantis, *Acolythum oportet ceroferarium ferre, luminaria Ecclesiae accendere, vinum et aquam ad Eucharistiam ministrare.* Ex his iterum patet, quomodo etiam Acolythatus ordinetur ad sacrificium missae, cum Acolythi sit praeparare et accendere luminaria ad sacrificium. Hinc in ordinatione ei traditur cereus extinctus, quia modo accipit potestatem accendendi cereos in Ecclesia. 2. Acolythi est, sequi Diaconum cum cereo accenso, quando accedit ad cantandum Evangelium; nam inde a graeco ἀκολούθειω sequor, Acolythus, vel melius Acoluthus; vel juxta eos, qui derivant cum Magrio ab ἀκολύω non prohibeo, Acolythus id est non prohibitus a ministerio altaris: vel latine est *pedissequus*, vel *sequens*. 3. In sacrificio vinum et aquam ministrat.

993. Q. V. Quenam sint virtutes Acolytho propriae? R. Ut praebat se ipsum exemplum bonorum operum. Ita colligitur ex admonitione Episcopi: *Non enim placere Deo poteris, si lucem Deo manibus praefers, operibus tenebrarum inservias, et per haec aliis exempla perfidiae praebas: sed juxta quod veritas dicit: Luceat lux tua coram hominibus* etc. Est

igitur sollicitus in omni justitia, bonitate, et veritate, ut et te, et alios, et Dei Ecclesiam illumines. Secunda virtus est singularis modestia, praesertim in Ecclesia.

994. Q. VI. Quo ritu conferatur hic ordo? R. Vocatus ordinandus ab Archidiacono respondet, *Adsum*, et mox accedit, et facta profunda reverentia excipit flectens adhortationem Episcopi: *Suscepturus, fili charissime, officium Acolythi etc.* 2. Post adhortationem tradit ordinans candelabrum cum candela extincta, quod ordinandus tangit manu dextera, donec prolata sit forma: *Accipe cerofarium etc.* Tum ordinans tradit urceolum vacuum, quem similiter dextera tangit neo-Acolythus, dum ordinans dicit: *Accipe urceolum etc.* 3. Postea stans Episcopus mitra conversus ad genuflexum dicit: *Deum Patrem omnipotentem etc.* 4. Facta benedictione Episcopus sine mitra se vertens ad altare dicit: *Oremus: et Ministri: Flectamus genua. Levate.* Mox ordinans conversus ad Acolythum adhuc genuflexum dicit: *Domine sancte, Pater omnipotens etc. . . . Per eundem Christum D. N. Amen. Oremus. Omnipotens sempiternus Deus . . . Per eundem C. D. N. Amen.* 5. Denique Episcopus accepta mitra sedet, et ad minores ordines ordinatum sic alloquitur: *Fili dilectissime, diligenter considera ordines per te susceptos; stude sancte et religiose vivere, atque omnipotenti Deo placere, ut gratiam suam possis acquirere, quam ipse tibi per suam misericordiam concedere dignetur. Dic semel septem psalmos poenitentiales cum litanis, versiculis et orationibus, et omnipotentem Deum etiam pro me ora.*

995. De subjecto minorum ordinum eadem observa, quae dicta sunt n. 954. de prima tonsura: item quae ibidem dicta sunt, quid requiratur ad hoc, ut valide et licite recipiantur. Quibus adde statutum *Trid.* sess. 23. c. 5. de reform. ut *ad minores promovendi bonum a paroco, et a magistro scholae, in qua educantur, testimonium habeant.* Ibid. c. 11. *Trid.* exigit, ut saltem latinam linguam intelligant.

996. An minores ordines sint verum Sacramentum, utrinque disceptatur in Theol. Schol. Probabilius id negant *Vasq., Durand., Cajet., Medina;* quorum ratio est, quod hi potius debeant dici ritus quidam sacri ab Ecclesia instituti, tanquam praeviae dispositiones ad ordines majores: nec eorum institutionis vestigium ullum habetur in Scriptura: nec gratiae iis annexae promissio ostendi potest, nec certa definitio Ecclesiae: ergo. Contrarium sentiunt alii cum *Bellarmino.* Quare cum res haec incerta sit, diutius huic speculationi immorari non placet. Ita *Laym.*

§. VII. De Subdiaconatu.

997. Q. I. Quid sit Subdiaconatus? R. Est ordo major et sacer, in quo per traditionem calicis vacui cum patena vacua, et libri Epistolarum sub certis verborum formis a legitimo ministro prolatis datur potestas mediante Diacono assistendi Presbytero in sacrificio missae, et solemniter cantandi epistolam.

998. Q. II. Quanam est materia et forma Subdiaconatus? R. Materia remota primaria est calix vacuus cum patena vacua; proxima ejusdem traditio. Ita expresse docet C. Florent. in Decreto *Eugenii*, ubi §. 15. de Sacram. Ord. sic habet: *Subdiaconatus vero traditur per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem.* Forma huic materiae correspondens est: *Vide, cujus ministerium tibi traditur. Ideo te admonere, ut ita te exhibeas, ut Deo placere possis.* Materia remota secundaria est liber Epistolarum: proxima ejusdem traditio; forma vero sunt sequentia verba: *Accipe librum Epistolarum, et habe potestatem legendi in Ecclesia sancta Dei tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Patris, et Filii, et S. S. Amen.*

Dixi, materia secundaria: quia (ut testatur *Emin. Cardin. de Lauraea* d. 6. de Sac. Ord. n. 54. et *Morinus* de sacris Ordin. p. 3. exercit. 12. c. 1. n. 6. et 7.) antiquissima Ritualia ab anno 500. usque ad annum 1200. non faciunt mentionem traditionis libri epistolarum. *Confirm.* ex Conc. Carthag. IV. de anno 398. ubi definitum est, sicut refertur in cap. *Subdiaconus* 16. dist. 23.: *Subdiaconus, cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de manu episcopi accipiat vacuam, et calicem vacuum.* Nulla hic fit mentio traditionis libri epistolarum. Valeret tamen ordinatio, si Episcopus per errorem traderet calicem cum vino, quia utile per inutile non vitiatur, neque per hoc falsificaretur forma.

999. Q. III. Quodnam sit officium Subdiaconi? R. Juxta Pontificale Rom. Subdiaconum oportet 1. aquam ad ministerium altaris praeparare; hic mentio fit solius aquae, quia Subdiaconi est, affundere vino paululum aquae ante oblationem, dicendo: *Benedicite, pater reverende.* 2. Diacono ministrare. 3. Pallas altaris et corporalia abluere. 4. Calicem et patenam in usum sacrificii Diacono offerre. 5. Item solemniter, h. e. cum manipulo et ex officio in missa cantare Epistolam. Adde ex aliis Ritualibus, 6. panem consecrandum pro populo in altari ponere. 7. Crucem in supplicationibus gestare. Jure antiquo Subdiaconi debebant stare ad januas, per quas ingrediebantur mulieres, ne quis egrederetur, neve aperiretur janua tempore oblationis. Ut constat ex Constit. Apost. L. 8. c. 11. ibid. statutum legitur: *Unus autem Hypodiaconus ministret aquam Sacerdoti ad lavandum manus.* Praeterea juxta Epist. 1. *S. Fabiani* Papae olim Subdiaconis demandatum fuit, gesta martyrum colligere, et in scriptis consignare.

1000. Q. IV. An ordo Subdiaconatus sit sacramentum? R. Certo ac clare id non habetur ex Scriptura, nec ex Conciliis, nec ex PP., ideoque inter Theologos affirmativa et negativa defenditur ut probabilis. Rationes in utramque partem erudite colligit *Bened. XIV.* L. 7. de Synodo Dioec. c. 24. in fine subjungit: *Ideo autem rationes attigimus, quae in utramque partem adducuntur, et paulo prolixius illas expolvimus, quae postremae (scil. neganti Subdiaconatum esse Sacramentum) favent opinioni, ut videant Episcopi, non posse indubitanter sacrilegii damnari, qui conscientia peccati lethalis ordines Diaconatu inferiores suscipere non formidant.* Nimirum si conferatur Subdiaconatus extra missam, dum non percipit ordinandus Eucharistiam.

1001. Q. V. Quid requiratur, ut quis valide ordinetur ad Subdiaconatum? R. 1. Ex parte subjecti requiratur, ut sit mas. 2. Baptizatus. 3. Habeat intentionem suscipiendi hunc ordinem. Ex parte vero ordinis requiratur, ut conferatur sub debita materia et forma, et a legitimo ministro.

1002. Q. VI. Quid requiratur ad hoc, ut quis licite ordinetur in Subdiaconum? R. 1. Ut sit Confirmatus. 2. Non sit irretitus censura ecclesiastica, nec sit irregularis. 3. Ut receperit primam tonsuram, et quatuor minores ordines. 4. Ut habeat legitimam aetatem, scil. vigesimum secundum aetatis annum saltem inchoatum, juxta *Trid.* sess. 23. c. 12. reform. . . . 5. Ut habeat titulum legitimum sustentationis. 6. Ut non sit conjugatus ex c. fin. de temp. Ordin. in 6. ubi prohibetur, ne vel prima tonsura conferatur conjugato. 7. Ut habeat sufficientem scientiam. Alii insuper 8. exigunt sanctitatem vitae, 9. Congruum tempus ordinationis, et 10. Vocationem divinam. Quae pro memoria continentur in vers. seq. *Confirm. Immunis, sit et Ordo, scientia et aetas: caelebs et sanctus, titulus, tempusque, vocatus.*

1003. Q. VII. Cur praerequiratur Confirmatio? R. Quia Ecclesia vult habere ministros in fide roboratos; hinc *Trid.* sess. 23. c. 4. de reform. ait, prima tonsura nequidem initiandos, qui non sunt Confirmati.